



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1764**

**VD18 90118049**

§. 10. Epistola Regis Hungariæ ad Papam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](#)

davimus, ut adversus Asanum & Regnum Sæcul. XIII.  
ejus sacram militiam populo suadeant, ac ter- A C. 1237.  
ræ sanctæ indulgentias promittant. Et  
quia Regum pietas præsertim per zelum con-  
tra inimicos fidei effulgere debet, obtestam-  
ur te, ut huic perverse nationi arma in-  
feras: pollicemur Dei nomine tibi, & o- Conc. Lat.  
mnibus, qui hac in expeditione te sequen- IV. c. 3.  
tur, plenam noxarum pænarumque condo-  
nationem, & Bulgariam tibi cæterisque Sup. Lib.  
catholicis bello acquirendam exponimus, ut 77. n. 47.  
in concilio generali sancitum fuit. Datum  
27 Jan.

## §. X.

Epistola Regis Hungarie ad  
Papam.

Bela Hungarorum Rex post quatuor ap. Rain.  
menses Papæ Gregorio respondit hunc 1238. n. 12.  
in modum: Secundum tua monita Impera-  
torem Græcum Vataciū, ut sanctæ Sedi  
se submitteret, vehementer adhortatus, effe-  
ctum sperabam, cum per Episcopum Pe-  
rusinum Legatum tuum accepi litteras, qui-  
bus urges, ut Asanum tanquam schismati-  
cum aggrediar, quamvis & amicus & af-  
finis sit meus; habet enim ex sorore mea  
filium, ac hæredem, mihique velut subjectus  
paret. Vatacius quoque filio suo neptem  
meam uxorem dedit; est Reginæ conjugis  
meæ frater, ac mihi conjunctissimus; se vero

T 3

iu

Sæcul. XIII. in Asano impugnatum credet. Nihilominus meam erga sanctam Sedem reverentiam demonstraturus, Bulgariae eidem in spiritualibus, & mihi in temporalibus subiectandam suscipiam, si consenseris in puncta sequentia.

Postulo, ut legationis officium in Bulgaria nemini, praeterquam mihi committatur, ita ut Diœceses ac Parœcias limitandi, & in hac prima institutione Episcopos ex consilio Præsulum & hominum religiosorum constituendi potestatem habeam, cum omnes hæc prærogativæ S. Stephano antecessori meo concessæ fuerint. Præcipua meas petendi ratio est, quia, si cum Legato sanctæ Sedis Bulgariae intrarem, omnibus incolis eam non mihi, sed Ecclesiæ Romanae etiam in temporalibus subjecere velle viderer; id quod adeo horrent, ut quam plurimi, qui sine pugna se mihi dederent, usque ad vitæ periculum se opponerent; nam saepe Christianis, quod Ecclesiæ Romanae mancipia sint, exprobrant.

Præterea, cum circa Bulgariae terram detur Zemram nomine, quæ, postquam diu deserta fuerat, incolis frequentata, sed nulli adhuc Episcopo subjecta est, eam Diœcesi, quæ mihi placuerit, attribuendi copiam posco. Hæc terra videtur esse Szreim, seu vetus Sirmium. Peto etiam, pergit Bela, ut mihi liceat crucem hoc in bello copiis meis præferendam curare; ut in Hungaria

Sup. Lib.  
LVIII.  
§. 8.

garia vicinisque terris anathema promulge- Sæcul. XIII.  
A.C. 1238.  
tur contra illos, qui durante hac expedi-  
tione Regnum meum invaserint, aut suam er-  
ga me fidem læserint; & ut nemini ag-  
gressio Hungaricæ me invito permittatur. O-  
ro denique, ut abrogas cunctas Episcopi Præ-  
nestini Legati tui constitutiones, quatenus  
pertinent ad anathema tam longe lateque ex-  
tensem, ut in tota pene Hungaria summi,  
medii, & infimi, ipsique Præfules in illud in-  
currerint, atque incurvant quotidie, nec i-  
dem evitare possint. Legati virtutem haud  
voco in dubium; sed Regni mei statum i-  
gnorabat. Dabat has litteras 17 Jun.  
an. 1238.

Papa 9 Augusti rescribens Regi Hun- XII. ep. 211.  
212. &c.  
ap. Rain.  
n. 12. & ap.  
Vading.  
n. 3. 4.  
gariæ solum permisit, ut ex Episcopis  
Regni sui, quem vellet, Legatum elige-  
ret. Simul Fratrum Prædicatorum Mi-  
norumque Primoribus fecit copiam in  
provincia Strigonensi commutandi vota  
omnium crucesignatorum Hungariæ mi-  
litum, contra Bulgaros classicum canen-  
di, & anathema promulgandi contra illos,  
qui intra sacræ hujus expeditionis tem-  
pus Hungariam adorti fuerint.

### §. XI.

#### Papæ litteræ in Terram sanctam.

Hierosolymis Equites Hospitalarii S. Rain. 1238.  
n. 31.  
Joannis Græco Imperatori Vatacio  
T 4 suam